



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus IV. De Mutuis Petitionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

Jurisdic. p. 4. casu 145. à n. 1. Felician. Oliva de Foro Eccles. p. 1. q. 28. n. 11. & 31. Unde l. Ex quacunque & l. Si quis citr. textus de casibus, quibus de re prophana & temporali agitur, sunt exaudiendi.

57. Dixi tamen, *Judicialiter*, hoc est, ut plenæ probationes recipiantur & per sententiam pronuntietur; quia aliqualem & ut ita loquar, perfunctoriam duntaxat cognitionem pro sua informatione sive inlruccióne, an causa ad curiam Ecclesiasticam statim remittenda sit, etiam Seculari judici permittam, *citr. DD. cum Menochio Confil. 912. n. 14.* facile concedunt,

& desumitur ex *e. Si judex citr. §. Et si notorium*, ut *Tir. 2. n. 183.* est ostensum, & suadet ratio; quia, qui vult consequens, velle etiam censetur necessarium antecedens, *arg. l. Ad legatum 62. ff. de Procurat. & propterea, datâ alicui jurisdictione, concessa etiam censetur ea, sine quibus illa nequit exerceri, c. Præterea 5. de Offic. deleg. & l. Cum jurisdictione 2. ff. de Jurisdic. dit.* Judex autem Secularis absque ejusmodi cognitione & informatione scire non potest, an causa statim remittenda sit vel non, *citr. Oliva n. 26.*



TITVLVS IV.

De Mutuis Petitionibus.

SUMMARIUM.

- | | |
|-----------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------|
| 1. Ratio Ordinis, | 13. Sicut coram Ecclesiastico laicus, reconuenitur, |
| 2. Et Reconventionis introducta: | 14. Saltem extra Bavariam, |
| 3. Permissaque coram eodem iudice Ordinario, | 15. In qua reconventio multum est restricta: |
| 4. Et Delegato, impetrato ab auctore: | 16. Clericus in laicum iudicem expressè consentire, |
| 5. Non etiam coram arbitris compromissariis, | 17. Et ab hoc in illum executio à laico fieri nequit. |
| 6. Vel iudice prorogato, | 18. Reconventio non semper tollitur cessatione à conventionione: |
| 7. Clericus coram laico non reconuenitur, si causa spiritualis, | 19. Et fieri potest etiam in causis non connexis: |
| 8. Vel Criminalis, | 20. Non tamen coram iudice Appellationis. |
| 9. Aut reconventio dolo procurata sit. | 21. De crimine Civiliter: |
| 10. In causa Civilis à laico clericus per modum Exceptionis, | 22. Non etiam Criminaliter agens, regulariter reconuenitur, |
| 11. Et per modum Actionis coram Seculari; | 23. De causis Spoliationis, |
| 12. Spectat ad Jure & Ratione | 24. Et Feudalibus, |

25. De

25. De causis Executivâ,
 26. Summariâ,
 27. Et spiritalibus coram Ecclesiastico
 iudice agitariis.
 28. Etiam Officium iudicis implorans
 reconvenitur,
 29. Non tamen in causis Reservatis,
 30. Et coram iudice, habente limitatam
 jurisdictionem.
 31. Proponenda Reconventio est initiô
 litis;
 32. Ut pari passu procedat cum Conven-
 tione
 33. In illius progressu facta vim habet
 prorogationis.

Non rarò Reus, cognitâ ex Libello
 petitione Actoris, vicissim ali-
 quid, quod suum, aut sibi ab
 isto debitum existimat, oblatô,
 ut vocat Reconventionis libellô, petere
 solet: sicut v.g. contingit, cum Titius ex
 causa mutui coram iudice competente à
 Caio conventus, vicissim istum reconve-
 nit ex causa emptarum à se adium; ut
 de utraque, tam Emptionis quàm Mutui,
 causa ab eodem iudice cognoscatur: &
 si de utraque liqueat, per sententiam si-
 mul terminentur.

2. Quare Actoris petitioni sive Conven-
 tioni, præcedente declarata, hóc Titulô
 subjungitur Reconventio, sive mutua pe-
 titio ipsius rei: quam huic coram eodem
 sive Conventionis iudice, etiam si aliàs
 respectu actoris competens non esset, in
 eodem iudicio permittendi ratio iustissi-
 ma fuit; quòd ex una, reus etiam invitus
 litigare coram iudice compellatur ad in-
 stantiam actoris: ex altera verò parte, æ-
 quum sit, ut actor, qui spontè adit iudi-
 cem contra adversarium, vicissim etiam
 patiat, ut iste eundem contra se iudi-
 cem habere possit, *l. Cum Papinianus 14. in fine, Auth. Et consequenter C. de Sen.*

Et interloquit. C. can. 1. V. Cuius, 3. q. 3.
 cum actori non debeat licere, quod reo
 non permittitur, *l. Non debet 41. ff. de
 R. J.* Accedit; quòd reus actorem, dum ab
 illo intentata iis pendet, coram alio aliàs
 competente eius iudice convenire nõ per-
 mittatur in causis, in quibus coram eodem
 iudice reconventio fieri potest, *Auth. cit.*
 ac proinde æquum fuerit, coram eodem iu-
 dice hanc ei permitti; ut, dum unus iudex
 ei admittitur, alius adiri valeat, Bartol. *in
 Auth. cit. n. 7. In causis, inquam, in quibus
 coram eodem reconventio fieri potest;*
 quia, si idem sive causæ conventionis iu-
 dex, quòd eius iurisdictio limitata & ad-
 certam causarum speciem restricta sit, de
 causa reconventionis cognoscere non va-
 leret, in ea actorem coram alio iudice re-
 convenire reus posset; ne aliàs, coram
 quo actorem sibi obnoxium conveniat,
 omnis iudex ipsi adimatur, ut cum *cit.*
 Bartol. & Panormit. *in c. 1. hâc Rubr. n.
 24. advertit Oliva de Foro Eccles. p. 3. q.
 32. n. 59.*

Permissa autem reo Reconventio est
 coram iudice quocunque ordinario: non
 solum, quando iste ordinarius iudex etiam
 est actoris, ipsi ratione domicilii, rei sit-
 tæ &c. subiecti: sed etiam, quando eius-
 modi iudex est solius rei, per *l. C. Auth.
 cit.* Imò etiam coram delegato, *c. 1. cit. 4.
 & c. Dispensia 2. de Rescript. in 6.* quem
 tamen actor non ex necessitate, sed sponte
 elegit aut impetravit; quia de hoc solo
 procedit ratio, *l. Cum Papinianus cit.* ut
 cum Bartol. *in Auth. cit. in fine* probè ad-
 vertunt Maranta *de Ord. jud. p. 4. dist. 6.
 n. 13.* & Petr. Barbosa *in l. Qui prior 29.
 ff. de Judiciis n. 45.*

Quare Reconventio locum non ha-
 bet Primò coram eo, quem Princeps ad
 causam aliquam delegavit motu proprio;
 quia etiam hunc actor, non suâ voluntate,
 sed necessitate coactus adit, *cit.* Maranta
n. 13. &

- n. 13. & Barbosa n. 50. Secundò, coram iudice non, ut plerumque solet, solius actoris, sed utriusque partis consensu delegato; quia, cum hunc reus adeat spontè & non ad eum trahatur inivius, l. *Cum Papinianus cit.* naturalis æquitatis ratio cessat, *cit.* Bartol. n. 21. Maranta n. 13. & Barbosa n. 46. Tertio, coram arbitris compromissariis, per expressum text. s. *Cum dilectus 6. de Arbitr.* cum; quia hi iurisdictionem propriè non habent: & propterea, ut *c. cit.* dicitur, iudicare non valent, nisi de his tantùm, super quibus in eos est compromissum: tum verò; quia etiam in ipsis allegata ratio non procedit, *cit.* Bartol. n. 20. & Barbof. n. 42. Quarto, coram iudice, cuius iurisdicção utriusque partis voluntate & consensu est prorogata: ut propter paritatem istius cum arbitris compromissariis & iudice ita delegato rectè arguit laudatus Maranta n. 23. Aliud esset, si prorogata esset à solo actore, sicut fieret, si prorogaretur iurisdicção iudicis respectu actoris aliàs incompetentis, v. g. quia æqualis aut inferior esset; tali enim casu coram illo posset actor reconveniri, l. *Receptum 14. iunctâ Glossâ V. Major. ff. de Jurisdic. cit.* Barbosa n. 48. & Pirrhing *ad hanc Rubric. num. 5.*
7. Dubium & magni nominis controversia est, an actor clericus reconveniri à laico possit coram iudice Seculari. Qua in re inter melioris notæ DD. satis convenit Primò, illum reconveniri coram isto non posse Imprimis in caula rei spiritualis aut huic annexæ; quia, seclulsâ delegatione Apostolicâ, de ista, tam incidenter, quàm principaliter in iudicium deducta, cognoscere Secularis iudex non valet, *c. Decernimus 2. c. Quantò 3. de Judiciis, c. Lator 5. Qui filij legit. & c. Si iudex 12. ibi, Quia de re Ecclesiastica & spirituali est, de Sent. excom. in 6. Bartol.*
- in Auth. cit. n. 6. Panormit. in c. cit. n. 28. Barbosa in l. cit. n. 31. & alii. Deinde, in caula Criminali, sive de crimine civili- 8. ter, sive criminaliter agatur, ut colligitur ex c. Unico, de Cleric. conjug. in 6. Ratio est; quia crimen est personale, sive adhæret personæ delinquenti: iudicium autem de persona clericali, utpote Deo consecratâ, perinde ut, quod de sacris vasis aliisque rebus consecratione vel benedictione affectis agitatur, spiritualem & Ecclesiasticam iurisdictionem exigit, Panormit. in c. At si clerici 4. de Judic. à n. 20. Felinus *ibid.* n. 10. Clarus *de fin. q. 36. n. 6. Farinac. Prax. Criminal. q. 8. n. 100.* & aliis relatis August. Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 1. cap. 39. §. 2. n. 148.* De- 9. mum in caulis etiam Civilibus, quando laicus, ut à clerico conveniatur, dolosè sive eâ intentione procurat; ut postmodum eundem coram Seculari iudice, sibi magis favente, reconvenire possit; quia fraus sua & dolus nemini patrocinari debet, *arg. c. Ex tenore 16. de Rescript. c. Ex litteris 2. de Dolo, c. Audivimus 3. de Collat. deteg. &c. Felinus in c. At si clerici cit. n. 10.* Eòdem modò admittenda in Seculari foro non esset, clerici reconventio, si, in eo dolosè, eòve animò laicum à clerico conventum esse, constaret; ut ab isto in eodem ipse reconveniretur. 10.*
- Convenit inter eosdem secundò, adversus clericum, in caula merè Civili conventum, locum esse reconventioni, quando ista à laico proponitur per modum Exceptionis, v. g. compensationis; sic enim Titius laicus, à Caio clerico super mille ex caula mutui debitis conventus, ab illo totidem ex caula venditarum ædium debitos, ac proinde compensationem, excipiendò opponere potest; quia ita excipiendò actoris intentionem omnino elidit, *cit.* Pirrhing n. 11. Eòdem modò clerico possessorio retinendæ contra laicum agentis proprie.

proprietatis exceptionem à laico opponi posse, docet Vincent. de Franch. *Decis. Neapol. 193. n. 3.* quia jurisdictio ad connexa & dependentia se extendit *c. Prætorica 5. de Offic. deleg. l. Si idem 11. §. 1. ff. de Jurisdic. Cochier de Jurisdic. Ord. in Exempt. p. 2. q. 29. n. 9.*

II. In aliis quoque merè Civilibus causis, actorem clericum, Ecclesiam vel Monasterium à reo laico reconveniri in foro Seculari generaliter non posse, cum Panormit. *in c. At si clerici cit. n. 23.* & ab hoc relatis Interpp. aliis defendunt Martha *de Jurisdic. p. 4. casu 107. n. 2.* Pirrhing *l. cit. à n. 9.* & Ranbeck *Panoptia Immunit. disp. 2. cap. 4. n. 6.* quos novissimè secutus est Prænob. & Magnificus Collega D. Dominicus Bassus *Semicent. Canonico-Legal. Controvers. 12. n. 8.* Moventur primò; quia, ubi prohibetur genus, prohibita est omnis species sub eo genere contenta; quia genus verè & propriè representatur in qualibet specie, *arg. l. Si quid earum 47. ff. §. 1. de Legat. 3.* & propterea, genere per prohibitionem remotò, omnes species remotæ censentur, per tradita ab Everardo *Legal. arg. locò 6. n. 1.* Cùm ergo prohibita & à foro Seculari in causa etiam Civili remota sit clerici conventio, *can. Clericum, 11. q. 1. c. Nullus 2. & c. Si diligenti 12. de Foro compet. prohibita & à foro illo remota etiam erit reconventio; quia hæc est secunda conventio & species quadam Conventionis genericè acceptæ. Secundò; quia generaliter Jure dispositum est, clericum etiam in causa Civili, extra casus Jure permittos, non esse judicandum à potestate Seculari, *cc. cit.* à quorum generali Regula Jure exceptus non est casus Reconventionis. Tertio; quia, quòd actor reconveniri coram eodem giudice à reo possit, fit ex Jure prorogationis, sive; quòd actor consentire censetur, ut contra se pro adversario*

judex sit is, quem contra hunc ipse elegit, *l. Cùm Papinianus & V. Cujus cit.* Cùm ergo clericus per viam prorogationis in laicum consentire nequeat, juxta dicta *Tit. 2. n. 213.* etiam non poterit coram eo reconveniri.

Rationibus his, licet minimè contentemendis, ea tamen vis non inest, ut intentum evincant; cùm Clericos & Ecclesias in causis merè Civilibus & foro Seculari reconveniri posse, persuadeat ratio non minùs potens & præcipui nominis DD. autoritas tanta; ut omnem conatum in oppositum frustraneum non immeritò opponunt Haunoldus *Tom. 5. de J. & J. tract. 1. n. 253.* clericos enim in hujusmodi causis reconventioni obnoxios esse, cum Glossa *in c. 1. V. Super his & Felino in c. At si clerici cit. à n. 8.* cum Bartol. *in Aub. cit. n. 19.* Baldo *ibid. n. 18.* & aliis sacri prophanique Juris Interpp. cum Speculat. *de Reconvent. §. 2. n. 8.* Maranta *dist. cit. n. 53.* Gaill. *Lib. 1. Observat. 33. n. 5.* Cochier *cit. q. 29. n. 1.* & utroque Barbola, Petro quidem *in l. cit. n. 82.* Augustino verò, alios DD. plena manu referente *cit. cap. 39. §. 2. n. 137.* defendunt Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 3. n. 9.* Fagnanus *in c. Nullus 2. de Foro compet. n. 3.* & novissimè Pignatellus *Tom. 3. Consult. 27. n. 4.* Rationis locò reddunt Regulam generalem; quòd actor incompetentis fori exceptione se tueri non possit, quòd minùs coram eodem giudice in causa reconventionis debeat respondere, *l. Cùm Papinianus & V. Cujus cit.* quæ Regula à sacris Canonibus nusquam rejecta: imò non obscurè & indistinctè recepta est *c. 1. & c. fin. hâc Rubr. & c. Cùm dilectus 6. de Arbitr.* ab eaque clerici nusquam excepti.

Confirmatur hæc Opinio partim; quia naturalis ratio & æquitas dicitur, seque defendendi omnibus concessum jus exigis

exigit; ut, qui à me aliquid tanquam suum, aut sibi debitum coram iudice petit, patiat, ut vicissim ego coram eodem petam, quod meum, aut ab eo mihi debitum est, *l. Cum Papinianus §. V. Cuius cit.* partim verò; quia iniquum videtur; quòd actor laicus coram Ecclesiastico à clerico, ut plerique concedunt, & non vicissim actor clericus coram Seculari iudice in causa merè Civili valeat reconveniri: & denique partim etiam; quòd saltem extra patriam hanc generalis stylus & consuetudo, quæ ambigui Juris optima Interpret est, *l. Cum dilectus §. de Consuetud.* clericos reconveniendi passim & sine ulla querimonia ab Ecclesia toleretur, ut notant *cit.* Oliva *n. 9.* & Haunold *n. 253.* *Extra Patriam*, inquam, quia in Bavaria Electoratu clericorum coram laico, & vicissim istorum coram Ecclesiastico iudice raro & vix ullæ sunt reconventiones, teste laudato D. Basio *n. 9.* Imò Jure ejus Provinciali etiam laicus à laico, cum uterque, tam actor, quam reus subditus est, coram iudice ordinario in causis duntaxat à prima conventionione ortis & dependentibus reconveniri permittitur, *Septimis. Ord. nung Tit. 6. art. 1.* licet actores extranei etiam in aliis, cum illa non connexis causis reconveniri possint, per ejusdem *Tituli art. 2.*

Ex his in contrarium deducta argumenta facili negotiò diluntur. Primum quidem negandò, Reconventionem esse speciem Conventionis, prout hæc à Jure generaliter prohibetur; quia hoc prohibet conventionem, quæ aliam conventionem non supponit, hòc ipso; quòd reconventionis ius à sacris Canonibus indistinctè sit receptum. Unde etiam corruit adversariorum argumentum alterum; quia à generali dispositione satis excepta est reconventio; quòd generaliter sit approbata. Tertium; quia pro-

rogatio jurisdictionis Secularis; quæ fit per reconventionem, à Jure potius quam ab homine est introducta: sicut generali ejus dispositione introductum censetur; quòd actor clericus coram alterius diocesis Episcopo reconveniri possit; quantumvis aliàs istius jurisdictionem in se prorogare expressè non possit, *l. Significasti 18. de Foro compet.* & sicut alii v.g. Studiosi habentes privilegium, ut non nisi coram certo iudice conveniantur, reconveniri coram alio, ad causæ cognitionem sufficientem jurisdictionem habente, possunt, privilegio suo non obstante, ut ex *l. Cum Papinianus cit. ibi. Nulla ei opponenda exceptione, quòd non competens iudex agentis esse cognoscatur, & ex l. Convenisse 2. §. 5. V. Sed & si agant. ff. de Judiciis delumunt cit.* Bartol. *n. 3.* Baldus *n. 9.* & Barbosa *n. 81.*

Rectè tamen hòc locò DD. notant, **17.** licet clericus ita reconventus à Seculari iudice possit condemnari, fieri tamen ab isto non posse executionem in persona & rebus etiam; quòd in executionis imperio reperiat major indecentia, quam in condemnatione; ideòque dignitas clericalis illi magis resistat, quam actui intellectuali, quò de causæ meritis pronuntiat, August. Barbosa *cit. §. 2. n. 146.* & Haunoldus *l. cit. n. 261.* Sed hinc

Alterum dubium oritur, an clericus, Ecclesia vel Monasterium, si à conventionione velit desistere, nihilominus respondere coram laico teneatur in causa reconventionis. Id certè aliqui indistinctè affirmant; quòd reus conventus iam habeat ius, actorem in eodem iudicio reconveniendi: cui actoris renuntiatio sive cessatio à causæ conventionis prosecutione præiudicare non potest. Cui doctrinæ etsi locus sit, quando res non amplius est integra, hoc est, quando reus reconventionione, oblatò & actori per iudicem

porrecto eius libello, uti iam cepit, ut
arg. *Clement. 2. Ut lite pend.* cum Ma-
riano Socino in c. 1. n. 22. docet Menoch.
de Arbitr. Lib. 1. q. 44. n. 5. & praxi re-
ceptum, testis est Oliva q. cit. n. 30. casu
tamen, quod nondum facta reconventio, &
propterea res ad huc integra foret, desi-
stere à conventionem posset, saltem si in ea
lis contestata non fuisset, ut cum iisdem
docent *citt. Maranta n. 117. & Martha*
num. 14.

19. Dubium tertio est de causis admit-
tentibus Reconventionem, sunt enim & à
Pignatell. *citt. Consult. 27. n. 16.* non dis-
sentiente, referuntur DD. qui, reconven-
tioni in causis duntaxat, Conventionem
concernentibus & cum ista connexis, lo-
cum esse velint propter l. *Cum Papinia-*
nus cit. V. In eodem negotio, hoc est, ut
aiunt, in negotio connexo. Sed perpe-
ram; quia vocabulis illis non, ut frequen-
tius solet, ipsam causam, sive rem, de qua
questio est: sed instantiam sive proces-
sum denotari; ac proinde l. *cit.* actoris
reconventionem in eadem iudicii exerci-
tatione, sive eodem processu iudiciario
permitti, docent Bruneman. in l. *cit. n. 5.*
& *citt. Haunoldus Tract. 3. n. 358.* qui
propterea rectè reconventioni etiam in
diversis, & generaliter in omnibus causis,
specialiter non exceptis, locum esse Regu-
larè instar statuit: dummodo iudex capax
sit iurisdictionis, quam exigit causa re-
conventionis. Rationem reddit; quod
Jura, quibus reconventio est introducta,
generaliter & sine restrictione ad eiusdem
generis causas loquantur.

20. Exciuntur autem primò causa Ap-
pellationis iudicialis partim; quod appel-
lationis iudex propter gravamen ab infe-
riori iudice illatum, ac proinde necessi-
tate quadam adeatur: partim verò; quod
vi appellationis istius iudex non de alià,
quam per illam ad se devolutà causà co-

gnoscere valeat, *Clement. 5. de Appellat.*
Bartol. in Auth. cit. n. 15. Baldus *ibid.*
n. 15. & cit. Oliva n. 57. Dixi, *Judicia-*
lis; quia extrajudicialiter appellatam co-
ram eodem iudice reconveniri, quod id
allatæ rationes non prohibeant, permit-
tunt, *citt. Speculat. §. 2. n. 6. & Ma-*
ranta n. 28.

Exciuntur secundò causa Crimina-
les: in quibus tamen opus est distinctio-
ne; vel enim de crimine agitur civiliter,
vel criminaliter? Si prius, à reo in causa
merè civili, vel etiam super aliquo crimine
civiliter convento, actorem coram
iudice suo competente reconveniri posse,
satis communis sensus est DD. Si poste-
rius, accusatorem suum reus super pari
vel minori crimine reconvenire regulari-
ter nequit, per textus l. *Neganda 19. C.*
de His, qui accus. non poss. ex eaque delum-
pti can. 1. & can. Neganda 2. Sc. 3. q. 11.
Ratio redditur l. 5. *pr. ff. de Publ. iudic.*
cujus relatu dignus textus est, *Si quis*
reus factus est, purgare se debet: nec ante
potest accusare, quam fuit excusatus; Con-
situtionibus enim observatur, ut non cri-
minum relatione, sed innocentia suâ, (pro-
batâ) reus purgetur.

Dixi tamen, *Super pari vel minori*
& *Regulariter.* Prius; quia de crimine
graviori reaccusari accusator vg. Titius,
qui Cajum de vi privata accusavit, ab hoc
de homicidio reaccusari potest, l. 2. *C. de*
His, qui accus. non poss. si ante reaccusa-
tionem lis de illo, sive crimine minori con-
testata nondum fuit, Farinac. *Prax. Crimi-*
nal. q. 100. à n. 64. præsertim, si gravioris
criminis causa esset præjudicialis; ut et
ejus decisione prioris decisio dependeret,
ut idem *n. 60.* observat. Posterius; quia
super pari & minori etiam crimine accusa-
toris reaccusatio reo permittitur, si suam
& suorum injuriam prosequatur, l. *Sc. can.*
Neganda cirt. Haunold. Tract. 3. cit. n. 369.
Sicut

Sicut Criminaliter super pari vel minori crimine, sic etiam & multo magis Civiliter actorem suum reconvenire ab eo Criminaliter conventus non potest, *l. Confessisse 2. §. 4. V. Sed & Si agant. ff. de Judiciis*, cum enim Civilis actio de Jure Criminali sive accusationi postponatur, *l. Adulterij 33. C. de L. Jul. de Adult.* ista pendente illi locus esse non potest, *l. Fin. C. de Ord. judic.* Clarus §. *fin. q. 2. n. 5.* & Haunold. *l. cit. n. 370.* Contra reus Civiliter conventus, pendente judicio, actorem suum Criminaliter tam ex omnino separata, quam ex connexa causa reconvenire potest; ut super causa civili saltem sententia ferri nequeat antè, quam de criminali fuerit pronuntiatum, Clarus *ibid. n. 4.*

23. Excipiuntur tertio causæ Spoliationis, quando spoliatus agit interdictione possessionis recuperandæ; iste enim à reo convento sive spoliatore reconveniri non, nisi super alia spoliatione ab ipso facta, potest, *c. fin. de Ord. cognit.* Ubi hac de re sermo redibit à n. 22.

24. Excipiuntur quarto causæ Feudales; quarum aliquam conventus actorem suum coram Paribus curiæ vel domino directo reconvenire super rebus Allodialibus non potest; cum enim iudices illi jurisdictionem, ex Feudorum tantum Usibus competentem, & causas feudales duntaxat concernentem habeant, in his quidem: non etiam in aliis, sive non feudalibus & in Jure Feudali non fundatis causis reconventioni locus coram ipsis erit, Gaill. *Lib. 1. Observat. 1. n. 57. & Mynsinger Centuria 4. Observat. 90.* Rationem reddit Rosenthal *de Feudis Tract. 2. cap. 12. n. 34.* quod jurisdictione Parium curiæ & domini directi limitata & restricta sit ad certum genus causarum: limitata autem jurisdictione per reconventionem; quod hæc tacita quædam porrogratio sit, ultra

illud causarum genus nequeat extendi, ut etiam observat Oliva *n. 48.*

Excipiuntur quinto causæ Executi-
væ; sic enim, exhibitò instrumentò confessionatò, eò expressi debiti solutionem petens, hanc judicis præceptò consequi debet, quin debitori ejus reconventio permittatur; quia instrumentum paratam habet executionem: & in debitorem ita confessum partes judicis aliæ non sunt, quam præcipere, ut debitum solvat, *l. Ulic. C. de Confessis*, Bald. *in Auth. cit. n. 20.* & *cit. Maranta Dist. 6. n. 39.*

Eadem est ratio causæ Depositæ; hoc enim ei, qui dedit, in judicio reposcenti, sicut sine ulla compensatione partis vel totius, *c. Bona 2. de Deposito & l. fin. C. de Compens.* sic etiam sine reconventionis, quæ simul procedat, admissione restitui debet, *l. Si quis 1. pr. C. Depositi*; cum propter exuberantiam bonæ fidei in eo contractu *l. Si quis 5. C. Depositi*: tum verò; quod executionem etiam ipsum habeat paratam, Bartol. *in Auth. cit. n. 9.* Dixi, *Qua simul procedat*; etsi enim, ne liquidum propter illiquidum differatur, reconventio, quæ pari passu ambulet, vel simul pertractetur, non admittatur: locus tamen esse videtur reconventioni ad effectum prorogationis jurisdictionis; ut istius causa ab eodem iudice discutatur ac definiatur, Maranta *l. cit.*

Excipiuntur à quibusdam DD. sexto
causæ Summariæ; alii tamen & meliùs reconventionem in iis admittunt, cum distinctione tamen; vel enim, inquirunt isti, causam summariam cognitionem exigente conventus actorem reconvenit super alia re etiam summariæ, vel plenariò iudiciò definienda? Si priùs, ac proinde summariam cognitionem exigit causa utraque, reconventioni omnino locus est, *Clement. 2. §. Verùm*, ibi, *Juxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet pro parte agentis*

R 3

25.

26.

in *Et etiam rei, Si quid petere voluerit, de V. S.* ita; ut de utraque causa simul cognoscatur ac pronuntietur. Si posterius & reconventionis causa plenarium iudicium requirit, reconventio quidem admittitur ad effectum prorogationis, si ve; ut de utraque idem iudex cognoscat, non tamen; ut utraque simul pertractetur ac definiatur, *cit. Maranta n. 38.*

27. Septimo à nonnullis excipiuntur causæ rerum Spiritualium aut his connexarum ita; ut clericus super beneficio aut laicus diocesanus super jure Patronatus ab extraneis coram proprio suo Episcopo conventi actores, v.g. super decimis coram eodem nequeant reconvenire. Sed melius in hujusmodi causis reconventioni tam extraneæ quàm ejusdem diocesis personæ coram Ecclesiastico iudice locum esse, probat *cit. Oliva n. 37.* quòd iste cognoscere possit de hujusmodi causis inter subditos suos agitis: reconventio autem etiam extranei, locum habeat, quoties iudex, coram quo reus convenitur, de causa cognoscere inter subditos potest.

28. Octavo, aliqui excipiunt, & casu, quò imploratur Officium iudicis, reconventioni locum esse, simpliciter negant aut affirmant. Sed hac etiam in re melius alii distinguunt: & licet eam rejiciant non solum, quando iudex motu proprio & nemine petente procedit, sed etiam, cum officium illud extrajudicialiter imploratur, v.g. ut aperiat testamentum, donationem suò decreto confirmet &c. eam tamen admittunt, cum officium illud judicialiter & principaliter v.g. pro impetranda in integrum restitutione imploratur; quia hoc casu succedit locò actionis, reconventionem admittentis, *c. fm. de Offic. iudic. cit. Maranta n. 37. & Oliva n. 61.*

29. Excipiuntur nonò causæ Reservatæ Principi, vel majoribus iudicibus; in talibus enim, sicut prorogatio juxta dicta

Tit. 2. n. 208. sic etiam reconventio, quæ tacita quædam jurisdictionis prorogatio est, locum non habet ad effectum; ut iudex, coram quo super iis conveniri nequeunt proprii subditi, de iis cognoscat, aditus per vim reconventionis, *cit. Oliva n. 47.*

Decimo respectu iudicium, limitatam 30 & ad certæ speciei causas restrictam jurisdictionem habentium, excipiuntur causæ, à specie illa omnino diversæ, cum aliqua tamen distinctione: & quidem, si causa reconventionis sit de specie causarum ejus jurisdictioni obnoxiarum, & ab his solummodo differat in quantitate, si ve secundum plus vel minus, de Jure admittitur; sic enim coram iudice, qui alias de causis, summam v.g. centum non excedentibus, cognoscere potest, actor pro majore v.g. ducentorum aureorum summa reconveniri potest: licet ipse reum coram eo super centum duntaxat poterit convenire, per textum *l. Si idem 11. §. 1. ff. de Jurisdic.* Si verò reconventionis causa non sit de specie causarum, ejus jurisdictioni subjectarum: sed de alia omnino diversa, v.g. si causa reconventionis spiritualis, jurisdictionis autem iudicis solummodo temporalis: si illa Criminalis, ista autem data tantum sit ad causas Civiles, aut vicissim: si reconventionis causa sit status v.g. libertatis, ingenuitatis, iudex autem infimus sit, actor super illis coram tali iudice reconveniri non potest, *Bartol. in Auth. cit. n. 5. & Maranta dist. cit. n. 33. & 34.* Ratio utriusque est; quia, licet ad majoris quantitatis, non tamen ad diversæ speciei causas fieri potest prorogatio jurisdictionis, *cit. Oliva n. 50.* Unde hic Doctor *n. 51.* infert, coram Prælati aliisque iudicibus Ecclesiasticis inferioribus reconventionem in causa Matrimoniali de Jure non admitti; quòd de hujusmodi causa, inter subditos suos agitata, cognoscere non possint, ex Decreto S. Synodi

S. Synodi Tridentinæ *Seß. 24. cap. 20. de Reform.*

Neque obstat; quòd ex una, reconventionis causa incidens & accessoria sit conventioni principaliter in iudicium deducta, secundùm Panormit. *in c. 1. cit. n. 14.* ex altera verò parte, iudex, qui de causa specie diversa v.g. de statùs quæstione, principaliter in iudicium deducta, cognoscere non potest, de ea cognoscere valeat, cum incidenter & accessoriè in iudicium venit, *l. Quoties 3. C. de Judicio.* Non, inquam, hoc obstat; quia, esto, hoc ita sit, cum accessoria incidit per modum exceptionis; aliter tamen res se habet, cum ea in iudicium venit per viam reconventionis. Disparitatis rationem *cit. Marantan. 35.* reddit; quòd exceptio v.g. statùs sit incidens necessarium in petitionem hæreditatis, per conventionem sive principaliter in iudicium deductam: & illa definiri non possit, nisi priùs cognoscatur de opposita exceptione statùs, atque insuper de ista non pronuntietur, *l. 1. C. de Ordin. judic.* reconventionis autem causa ita necessariò in iudicium non veniat, & conventionis causa sine ea decidi possit: cum verò in iudicium venit, pari cum conventione passu procedat, & cum hac super illa simul pronuntietur, *c. 1. cit.*

81. Dubium quartò est, quando reconventionis causa in iudicio sit proponenda. Speculat. *cit. 3. n. 1.* eam, etiam lite jam contestatà, usque ad conclusionem in causa admittit. Sed meliùs cum Felino *in c. 1. cit. n. 2. cit. Martha casu 107. n. 6.* & alii eam, ut pari passu cum conventionem procedat, regulariter ante vel statim post litem contestatam, sive antequam iuramentum calumniæ præstetur, & ad probandum dilationes partibus assignentur, faciendam, docent & desumunt ex *Clement. 8. §. cit.* Verbis, *Si quid veus petere voluerit, est in ipso litis exordio petitio faciendâ: ex Aurb. Et conse-*

quenter cit. juncta Glossâ V. Alioqui & Novell. 96. cap. 2. ubi reus, si accusatorem sibi obnoxium se habere arbitretur, ipsum apud eundem iudicem statim ab initio accusare jubetur. Quod si fiat, utraque conventionis & reconventionis causa simul procedit; ut licet reus priùs ad positiones sive articulos actoris, postea verò iste ad positiones rei reconventionis respondeat, regulariter tamen utraque causa unâ eademque sententiâ sit terminanda, ut *c. 1. cit. & c. Cum dilectus, V. Nos autem, de Ord. cognit.* clarè habetur.

Dixi tamen primò, *ut pari passu procedat*; quia ad effectum prorogationis, sive; ut actor in reconventionis causa coram eodem, scilicet conventionis iudice, respondere teneatur, reconventio usque ad sententiam definitivam, vel saltem conclusionè in causa fieri potest, per text. *c. Dispendia 3. V. Reus quoque, de Rescript. in 6.* quòd tamen tempore proposita reconventio, post causam conventionis jam expeditam primùm pertractatur, Barbosa *in l. Qui prior cit. n. 26. & Oliva cit. 9. 32. n. 32. in fine.* Ratio autem, cur tali casu conventio non pari passu ambulet, est; quia æquum non est, conventionis causam priùs in iudicium deductam & jam probatâ per reconventionem, primùm in ejus decursu superveniens, cum actoris præjudicio suspendi & retardari.

Dixi secundo, *Regulariter*, sive, si de utraque causa pariter liquidè constet; quia, si de una solùm causa priùs liquet, aut ea propter imminens animarum periculum &c. posceret celeritatem, ex æquitate potius, quàm scripti Juris dispositione priùs terminanda esset, quæ faciliùs posset expediri, præsertim si altera, quòd ardua & valde intricata sit, ulteriorem indaginem & longiores posceret dilationes, *cit. Maranta n. 8. & Haunold. n. 350.*

TITULUS